



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Exponitur Sententia nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

illi actus contrahentium, jam datur jus in Petro, atqui non dantur illæ duæ carentiæ, cum stare nequeant in eodem instanti carentiæ actum cum ipsis actibus: ergo jus non consistit formaliter in actibus moraliter perseverantibus per illas duas carentias: quod si sermo sit de jure non actuali, sed perseverante quasi habitualiter, neque jus istud potest stare formaliter in carentiis, quibus deficientibus jus non deficit: atqui deficientibus illis carentiis jus non deficit, ut patet in contractu matrimonii, qui non deficit, licet deficient illæ carentiæ per retractationem contrahentium. Unde aliud est assignandum constitutum hujus moralis perseverantiae. Vide, quæ de his latius dixi à num. 196. de actibus humanis.

207. Quarta sententia docet, jus constituere formaliter in recto rationis dictamine adjudicante alicui titulo præsupposito certos usus licitos rerum diversos quidem pro diversitate jurium, quæ oriri solent à diversis titulis. Sic Deo titulo supremæ suæ excellentiæ creatoris omnipotentis, sive titulo Dei competit pro libito suo usus cuilibet rei creatæ. Dictamen ergo rectæ rationis comparans, & adjudicans ejusmodi titulum talem usum dicitur esse formaliter jus, sive dominium Dei in res creatas; similiter etiam in creaturis titulo emptionis, & pretii, & pariter venatori titulo captivonis feræ adjudicantur pro libito suo tales, vel tales usus circa rem emptam, vel captam, sive alio modo à se habitam: dictamen ergo rectæ rationis adjudicans tales usus alicui homini ratione prædicati, vel alterius similis tituli est jus, sive dominium. Quod si objicias, prædictum, dictamen, cum sit actus intellectus transiens, non semper durare, quamdiu durat habitualiter in aliquo jus, seu dominium. Respondent aliqui Recentiores Patroni hujus sententiæ, semper durare dictamen primæ regulæ æternæ in mente Divina, quod factis est. Cæterum si hæc sententia non assumat principia nostra, quæ dabimus num. 208. & unice persistat in iis, quæ Authores sui tradunt, falsa omnino est; ideoque persistendò in eorum explicatione

208. Contra sententiam sic explicatam arguo primò: prædictum dictamen judicat post actus illos contrahentium pertinere ad Petrum usum rei. Modò sic, & rogo, quomodo judicat pertinere? dices tanquam ad Dominum habentem jus in tali re; alius namque modus pertinendi impertinens esset ad intentum. Modò sic: ergo prædictum dictamen judicat, usum rei pertinere ad Petrum ut Dominum, & ut habentem jus in illa re, proindeque supponit, & non constituit jus, sive dominium Petri circa talem rem. Contra 2. Judicare, tales usus rei pertinere ad Petrum post talem contractum, est judicare, licere illi post talem contractum tales usus, quales aliis forent illiciti pro libito ipsius Petri: ergo dictamen sic judicans supponit in Petro præ aliis potestatem licitè utendi tali re, & restringendi moraliter libertatem aliorum in favorem

suum; atqui ea potestas est formaliter jus proprietatis Petri, ut constat à num. 179. ergo jus proprietatis est quid præsuppositum ad illud iudicium, seu dictamen, ac proinde non stat formaliter in illo. Vide à num. 215.

SECTIO IV.

Exponitur Sententia nostra.

Assero cum pluribus Recentioribus, quos 209. partim sequitur Maurus quæst. 173. jus proprietatis conveniens creaturæ stat formaliter in lege, seu quasi lege favente uni, gravante reliquos, quatenus uni confert directè, & præcipuè in bonum libertatis ipsius potestatem legitimum ad restringendum moraliter per suam voluntatem aliorum. Dicitur *in lege*, quatenus lex extenditur ad naturalem, & positivam, & humanam. Dicitur *seu quasi lege*, nam dantur aliqui contractus, qui sunt eminenter lex, & præstant quoad hoc eodem effectus, quos lex præstaret, tum etiam sunt aliqui actus supremi Domini æquivalentes legi. Sic casu, quo Deus produxisset unum solum hominem, eique dedisset dominium, ea voluntas dandi dominium non esset strictè lex, sed quasi lex, id est virtualiter, & eminenter lex. Ratio est, quia lex strictè sumpta respicit communitatè, quam certè illa divina voluntas non respiceret; in hoc sensu præceptum, & pactum stabile, & validum vocatur ab aliquibus eminenter, & virtualiter lex. Conclusio igitur explicata

Probatur primò. Nulli creaturæ competit 210. jus proprietatis in alias creaturas ex natura sua præcisè, sed accedente extrinseco beneplacito, seu lege positiva, vel ordinatione Divina, ut diximus num. 199. quin imò quamvis homini capienti feram, ementi equum, aut facienti aliquid artefactum competat jus in hujusmodi res titulo captivonis, emptionis, seu effectivonis, non tamen independentè à lege: posset enim Legislator, saltem supremus, nempe Deus ut supremus Dominus, à quo omnis potestas descendit, ut summæ naturæ constat, & haberetur ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi à Deo*, prædictos titulos privare effectu acquirendi juris, & è contra seclusis illis titulis potest Deus conferre jus, ita ut præcisè posita lege illa jus habeatur, ablata verò præcisè illà jus desit; sed exinde patet, jus proprietatis stare in ejusmodi lege, seu quasi lege: ergo &c. Videatur Esparza quæst. 25. art. 9. Confirmatur ex Philosopho, qui jus proprietatis non nisi ad legem reducit; sic enim habet 5. Ethicorum cap. 4. *Justum autem, quod est in commerciis, est quidem æquum quoddam, & injustum iniquum; sed non illa comparatione rationum, sed arithmetica; nihil enim refert, si probus pravo detraxerit, an pravis probus; neque si adulterium probus, an pravis commiserit, sed ad differentiam nocuamenti lex respicit tantum: sed exinde constat, jus*

jus proprietatis stare in lege, seu quasi lege à nobis explicata: ergo &c.

111. Probatur 2. Ut ex ipsa experientia constar, adhuc ab ipsis legibus humanis nunc immutantibus, nunc approbantibus multos contractuum modos provenit, ut iidem actus contrahentium fundent jus accedente beneficio legis, & recedente non fundent; quod etiam patet in ipsa lege Divina, quæ in prima rerum conditione dedit homini jus in inferiores creaturas, & postea dedit Israëlitis jus in terram Canaan: ergo jus proprietatis habetur à lege Divina, si ve humana favente uni, & gravante alios quoad usus licitos; ita ut illi, quem Dominum constituit, conferat legitimam potestatem explicatam à num. 179. in qua, ut diximus, constitit jus proprietatis: sed exinde patet, jus proprietatis constitui ab ejusmodi lege: ergo &c. Confirmatur. Eo ipso, quod datur lex conferens alicui eam legitimam potestatem, licet cætera omnia desint, datur in illo jus proprietatis; si autem nulla sit lex, quæ prohibeat, ut alterius libertatem primario in bonum libertatis nostræ restringamus per legitimam illam potestatem, eo ipso in altero, quoad effectum istum nullum datur jus proprietatis contra nos: atqui illud dici debet formale constitutum juris proprietatis, quo posito jus formale ponitur, & quo ablato jus formaliter deficit: ergo &c. Vide à num. 223.

112. Probatur 3. Nullum est excogitabile jus proprietatis in creatura, quod non possit à Deo non modo ligari, verum etiam tolli per suam voluntatem; cum enim omnes creaturæ, quia creaturæ sint essentialiter sub dominio proprietatis Dei, solum possunt habere jus proprietatis, quale ultra beneficium productionis à Deo illis liberè conceditur, vel per ipsum, vel per alios mediante potestate à Deo concessa; unde nulla inclinatio creaturæ rationalis, quantumvis naturalis sit, participat rationem juris proprietatis, nisi dependenter ab ejusmodi libera concessione vel à Deo per se ipsum facta, vel facta à creaturis ex libera facultate à Deo concessa: sed in eo stat, quod jus proprietatis creaturæ conveniens consistat in lege, seu quasi lege à nobis explicata: ergo &c. Confirmatur. Diversissime convenit naturæ rationali jus proprietatis, ac conveniat rationalitas; hæc enim convenit naturæ rationali essentialiter, ideoque non est beneficium distinctum à beneficio creationis; at jus proprietatis convenit illi accidentaliter, ut constat ex num. 199. ideoque est beneficium distinctum à beneficio creationis non minus, quam conservatio sit beneficium distinctum à beneficio creationis: sed hoc perinde est, ac dicere jus proprietatis haberi in creatura per legem, seu quasi legem à nobis explicatam: ergo &c.

113. Quapropter jus proprietatis ad ea, quæ sunt juxta aliqualem naturæ inclinationem, ut bene notat Maurus quæst. 173. habetur ab hac, vel simili concessione Dei, vel aliorum, qui ad

hoc habent potestatem à Deo, do tibi facultatem, ut moveas manus, & pedes in tuam utilitatem, & ut in tuam utilitatem aliis prohibeas, ne alii te impediunt in motu manuum, aut pedum, ne te interficiant, ne amputent manus, aut pedes &c. Pariter jus jurisdictionis Patris in filium, quod videtur esse juxta aliqualem inclinationem naturæ, stat in actu, quo Deus v.g. Patribus dicit: *Præcipite filiis in eorum utilitatem*: & similiter filiis, *obedite parentibus præcipientibus in vestram utilitatem*; jus verò proprietatis, aut jurisdictionis in alia, quæ non sunt juxta naturæ inclinationem, facilius apparet, non posse, nisi à lege provenire; sic respectu Pontificis, Regum, & subditorum clarè apparet, potestatem, seu jurisdictionem provenire à lege, seu quasi lege, cum ille, qui est Pontifex, potuisset non esse Pontifex, ille, qui est Rex, potuisset non esse Rex, & ille, qui est subditus, potuisset non esse subditus; quin imò potest homo & Regnum, & Pontificatum deponere: ex dictis

Fit 1. Jus proprietatis dividi in jus ad rem, & jus in re, ut diximus à num. 1. de qua divisione latè agit Molina tract. 2. disp. 2. jus in re dici solet reale, quia potius respicit, & devincit sibi res, quàm determinatas personas; est enim facultas rem aliquam sibi vindicandi ut propriè suam, à quocunque, & ubicunque detineatur. Jus ad rem dici solet personale, quia potius respicit, ac devincit sibi determinatas personas, quàm rem ipsam, ut rem ex jure conferant; est enim facultas rem aliquam sibi vindicandi, & exigendi ab aliqua persona, etiam si ab aliquo detineatur; exemplum fati respicuum dedimus supra in emptore; emisti equum à Petro numeratà pecunià, & ille nondum tradidit equum, quo in casu habes titulum, scilicet emptionem, sed non habes traditionem equi: habes ergo respectu equi jus ad rem, quippe si equus ad alium sive furtò, sive donatione, sive aliter perveniat, non potes ab alio exigere, sed solum à Petro venditore, contra quem habes actionem titulò iniri contractus: at postquam equus est tibi traditus, habes jus in re circa equum, quippe potes ipsum exigere, à quocunque detineatur, non verò à Petro venditore, nisi ipse post traditionem sibi equum reassumpserit.

Quapropter regulariter loquendò ad acquirendum jus in re requiruntur duo, scilicet titulus, & traditio, seu possessio. Titulus est quo ad nos radix, & origo juris, nempe terminus, quo posito lex confert jus. Talis est donatio, venditio, successio hæreditaria, electio in beneficium, & alia ejusmodi, ex quibus præcisè non comparatur dominium, & jus in re, sed apponitur titulus, ut adveniente traditione dominium, & jus in re compareretur, prædictus titulus vel est verus, ut cum adest vera venditio, Canonica electio, legitima successio, aut alius similis, vel est præsumptus. Quando reverà non adest, sed simulatur aliquis ex his, qui sufficiunt

unt ad transferendum dominium, dicique solet titulus coloratus, & tunc non adest radix domini, nisi cum bona fides intercedit. Dixi *regulariter loquendò*, tum quia si loquamur de rebus, quæ sub alterius dominio non erant, ipsa possessio, seu illarum acceptatio est titulus, quo primò occupans comparat jus in re; tum quia loquendò de rebus, quæ perseverant sub aliquo dominio, excipiuntur aliqui casus, in quibus ex dispositione legum acquiritur jus in re, sive dominium per titulum, quamvis traditio non intercedat. Primò in beneficiis posita præcisè collatione, & acceptatione. Secundò in hereditate, eo ipso, quòd hæreditatem adeas, sive acceptes. Tertio in legatis, in quibus mortuo Testatore acquirit legatarius etiam inscius jus in re contra hæredem. Quarto in his, quæ donantur, & legantur causis piis, de quibus, aliisque casibus dicemus à num. 250.

216. Hoc jus in re indispensabiliter requiritur ad dominium, ut constabit à num. 235. Quare oportet aliquas domini species breviter explicare. Dominium aliud dicitur plenum, & perfectum, de quo latè agemus à num. 144. aliud verò imperfectum, & hoc est multiplex, scilicet ususfructus, usus, habitatio, emphyteusis, feudum, libellus, superficies, servitus, possessio, de quibus latè agunt Jurisconsulti. Nos autem hic breviter trademus, quæ utilia sint ad nostrum institutum. Ususfructus igitur est jus utendi, & fruendi re aliena salvà ipsius substantià, proindeque usufructuarius percipit, utitur, & fruitur fructibus rei alienæ. Hinc est, quòd ususfructus non constituitur propriè in rebus, quæ usu consumuntur, sed impropiè, & ex benignitate legum præstita cautione, & obligatione reddendi æstimationem illarum rerum finito tempore ususfructus legalis, vel conventionalis. Legalis est, qui lege ipsa constituitur, ut habet Pater in peculio adventitio filii existentis sub patria potestate; conventionalis est, qui constituitur ex privata dispositione, ut per donationem, stipulationem, pactionem, & quid simile.

217. Usus est jus utendi re aliena salvà ipsius substantià, & vocatur usus juris, seu juridicus contrapositè ad usum facti, qui absque ullo jure reperiri sæpè solet tum in usu licito, ut quando quis habet usum liberè ab aliquo revocabilem, de quo agemus à num. 324. tum in usu illicito, ut quando quis equitat injustè in equo alieno, & comedit, vel induit furtiva; conveniunt usus juris, & ususfructus in eo, quòd uterque debet salvà servare Domino proprietario substantiam rei. Differunt in eo, quòd usufructuarius habet rem ad usum proprium (in quo differt à depositario, qui si utatur depositò, tenetur ad æstimationem usus) quin illam rem possit alteri tertio locare, vel concedere, neque re frui. At usufructuarius re fruatur quoad omnes istos effectus, quod Instit. de usu, & habitat. §. *iiisdem istis modis*, ita explicatur; Minus autem est jus in usu, quàm in usufructu; nam is, qui fundi nudum

habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, scend, stramentis, lignis ad usum quotidianum utatur, in eodem quoque fundo hæctenus licet ei morari, ut neque Domino fundi molestus sit, neque his, per quos opera rustica fiunt, impedimento sit, neque ulli alii jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest, cum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere.

Ex quo patet, usum juris, & ususfructum, prout à jure traduntur, & definiuntur, non esse usum, & ususfructum in actu secundo, hoc est, ipsum actum utendi, & fruendi, qui usus in actu secundo vocatur usus, vel ususfructus facti, sed usum, & ususfructum in actu primo, hoc est, jus utendi, & fruendi re aliena salvà ejus substantià, qui quidem usus vocatur usus, & ususfructus juris. Præterea non definitur jus utendi, & fruendi re propria, quòd jus, quia causatur à dominio directo habentis tale jus, vocatur jus, & ususfructus causalis: sed definitur usus, & ususfructus purè formalis, hoc est, jus utendi, & fruendi re aliena, quòd jus non causatur à dominio directo habentis tale jus. Habitatio est quid medium inter usum, & ususfructum; est enim jus utendi domò, quòd dum conceditur, intelligitur non solum ad habitandum in illa personaliter, sed etiam ad locandū, nec propterea servat omnino leges ususfructus; nam prædictum jus habitationis solum finitur morte illius, cui concessum est. Ususfructus verò multis aliis modis cessat, ut infra videbimus.

Emphyteusis est jus circa rem alienam immobilem fruendam in perpetuum, vel saltem decennium sub obligatione pensionis reddendæ Domino proprietario. Convenit cum usu, & usufructu in eo, quòd sit jus in rem alienam, quòd vocatur dominium utile, seu indirectum supponens in alio dominium directum proprietatis. Differt ab usufructu communiter sumptò; quia hic est etiam circa mobilia, & finitur morte usufructuarii, & nequit in alterum transferri. Emphyteusis verò est solum circa immobilia, non finitur morte Emphyteutæ, & potest in alterum transferri. Feudum est jus fruendi re aliena immobili, vel quæ pro immobili habetur cum onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi. Differt ab emphyteusi, quia feudum purum non exigit à feudatario pensionem realem, sed obsequium personale, pro quo tamen sæpè imponitur realis pensio, & tunc quamvis per leges feudorum reguletur, parum differt ab emphyteusi, ut notat Molina tract. 2. disp. 10. Libellus est quasi emphyteusis, seu feudum subalternum, ideòque Doctores passim feudum, & emphyteusim appellant libellum; est igitur jus à feudatario, vel emphyteuta translatum in alium pro pensione sibi solvenda.

Superficies dicitur jus ædificandi, vel plantandi in alieno solo; itaque cum ex contractu, ex quo oritur illud jus, non concedatur absolute so-

te solum superficiem, sed tantum superficies, domo, vel vinea destruda finitur jus, neque poteris ibidem iterum edificare, nisi denuo contrahas: finito contractu domus, vel vinea talis solo affixe pertinent ad Dominum soli, non ad superficiarium, cui tamen debent solvi illa melioramenta. Durante autem contractu potest superficiarius locare alteri domum, vel vineam inconsulto Domino proprio soli, si absque pensione solvenda fuisset concessa superficies; si vero cum pensione, requiritur consensus proprietarii, quia tunc superficiarius censetur verus emphiteuta. Servitus, prout in presenti usurpatur, est jus, quo aliquis adstringit sibi, suisque rebus servire rem alienam. Unde non dicitur servitus usufructus, quem Dominus percipit ex sua re, aut mancipio suo; nam res proprie non dicitur Domino proprietario obligari, quamvis illis utatur; obligatio enim rerum adharet personae, nemo autem sibi ipsi obligatur, aut servit. Itaque servitus habet sub se rationem usufructus, emphiteusis, feudi, habitacionis, & superficiem; nam omnia ista jura faciunt usufructuario, uluario, emphiteuta, feudatario, & habitatori, atque superficiario servire rem alienam.

21. Possessio, ut notat Lugus, generatim sumpta, non est proprie jus, quamvis, si vera est, dicat juris administrum, & solet definiti jus insistenti rei non prohibita possideri. De illa agit late, & doctè Molina disp. 12. & 17. advertens, furem verè possidere, absque jure tamen insistenti rei, & vocatur possessio facti, ipsa scilicet occupatio, seu habitatio rei, quae saepe est absque possessione juris, sive absque jure possidendi, ut de usu diximus num. 212. Dicitur possessio, quasi pedum positio, aut cum potestate lectus; hinc communiter definitur à Jurisprudentibus tentio rei corporalis corpore, & animo, jurisque administrum. Dicitur tentio, aut detentio, scilicet vera, vel ficta. Vera, quando res possessa manibus, vel pedibus contrectatur, ut saepe fit. Ficta, seu aequivalens, quando in multis eventibus corporaliter nulla realis apprehensio intercedit, sed solum ex intervenitu alicujus actus, qui ex legum dispositione reali apprehensioni aequivaler, res dicitur possideri.

22. Dicitur rei corporalis, quia incorporea à Jurisprudentibus non dicuntur possideri, sed quasi possideri, quamvis apud Theologos, ut notat Lessius lib. 3. cap. 3. dubitat. 9. ad incorporea extendatur; unde Theologicè loquendò auferenda est à definitione particula corporalis. Absolutè quidem dicimus, possideri beneficium, & alia hujusmodi. Dicitur corpore, & animo, quia ad possessionem non sufficit tentio corporalis, quam habet bajulus, seu depositarius rei alienae; neque sufficit animus possidendi, quem scilicet habet quis circa thesaurum, vel feram, quam nunquam habuit, sed requiritur utrumque vel per se, vel per alium, ut contingit in pupille per Tutorem. Additur tamen juris administrum, non quòd omnis possessio facti debe-

at esse justa, nam fur verè possidet rem furtivam, sed quia jura non impediunt, ne talis tentio censetur sufficiens ad constituendam possessionem; sicut impedirent, ne detentio rei Sacrae, aut bonorum Ecclesiasticorum facta à Laico, quamvis continuata constituat juris possessionem. Vide num. 252.

Fit 2. Legem constitutivam juris proprietatis illam esse, quae se ipsa vult alicui dare liberam facultatem disponendi de re tanquam sua, ita ut possit moraliter restringere in bonum suae libertatis per voluntatem suam libertatem aliorum, ut supra diximus; unde jus confert eo modo, quo vult illud conferre. Quapropter si nolit conferre jus, nisi praesupposito aliquo puro termino, non erit constitutiva juris, quando terminus ille non praesupponitur; quando verò terminus ille praesupponitur, jus quidem habebitur non à puro termino, sed à lege, quae sic, & non aliter se ipsa vult jus conferre. Exemplum perspicuum est, ut saepe diximus, in eo, qui efficaciter vult dare elemosinam, quando sonuerit horologium; ille siquidem vult se ipso obligare per suam voluntatem, non verò per pullum horologii, quem respicit ut purum terminum, cum pullus horologii non habeat vim ullam ad obligandum, proindeque homo ille tunc, quando sonuerit horologium, manebit obligatus per suam voluntatem, quia tunc jam ponitur purus terminus, quo posito ille per suam voluntatem vult se efficaciter obligare.

Idcirco cum plures leges conferant jus independentem ab acceptatione alterius, aliae verò conferant solum, quando alter occupat, ut diximus à num. 215. & fusius infra à num. 250. exinde aliqua leges praesigunt sibi purum terminum, ut se ipsis jus conferant, quem aliae leges sibi non praesigunt. Vide, quae de puris terminis diximus num. 908. de Sacramentis, & à n. 96. de gratia. Si autem lex, ut Thomistae contendunt, non sit in actu voluntatis, sed intellectus, cum actus ille intellectus habeat similitudinem in ordine ad vim legis, quam haberet actus voluntatis; exinde si ad illam tendentiam actus voluntatis praesigeret sibi purum terminum, etiam actus intellectus sibi praesigeret purum terminum, proinde tota diversitas inter legem consistentem in actu voluntatis, & consistentem in actu intellectus desumitur ex eo, quòd altera sit lex expressiva, altera verò affectiva, utraque tamen, ut sit vera lex, respiciet idem objectum, praesixosque sibi habet eosdem puros terminos; caeterum haec omnia clariùs constabunt ex solutione argumentorum.

SECTIO V.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. Lex illa, à qua provenire possit dominium, saepe ancedit, & quidem ab aeterno, si est Divina, cum sit actus Divinae voluntatis.